Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.
Wien, 1800 Seite 1611
Quelle:
Copyright:

Ut ad praeſtantiſſimum *Kempenſis* Exemplum redeam, ſcriptum eſt, non *in charta vaga*, quae deperdi poſſit, ut viſum *Raym. Duellio* citato in *Debillioni* memorati *Diſputatione* praevia p. 36. ſed ad Codicis calcem *fol.* 194. *Ce liure eſt a monſieur de moulenbaix Baud. de lannoy. Balduinum* hunc *Lannojum* II. puto *Balduini* I. dicti Balbi (*le Begue*) filium, qui jam a. 1481. inter aurei Velleris Equites cooptatus eſt teſte *J. Jac. Chiffletio* in *Inſignib. Gentilit. Equit.* &c. *Antverp.* 1632. p. 54. 4. Fieri igitur poteſt, ut Codex noſter vivo etiamnum *Thoma*, qui annum 1471. ultimum habuit, aut non diu poſt ejus fata ſcriberetur. Manſit ille in *Lannojorum* Domo; video enim in *fol.* praevio notatum: *Ce Liure eſt de francoiſe de barbanchon Dame Douagiere* (Douairiere, angl. Dowager) *de molembaix. Franciſca* haec *Barbanſonia* uxor fuit *Philippi Lannoji Balduino* ſupradicto progeniti, mortua a. 1555. quae quidem etiam filium *Balduini* nomine habuit, cujus tamen aetati character *Codicis* manifeſte repugnat.

DCLXXXV.

U. 740 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 270. f. per duas columnas non tamen una manu exaratus et rubricis diſtinctus inſcribitur I. *Excerpta de Valerio* (Max.) *ad theologiam applicanda.* Commentaria igitur habemus in ejus *Libros IX. Dictorum Factorumque Memorabilium*, ſed limitata ad illud tantummodo, quod Religioni Chriſtianae adcommodari poteſt, id, quod *Moralizare* dicebant boni Majores noſtri. Initium eſt: *Urbis Rome exterarumque gencium facta ſimul ac dicta memoratu digna &c. Sciendum quod hic ponentur notabiliora de valerio maximo* &c. Expoſitio vero ipſa ſic inchoat: *Maiores ſtatas &c. In hoc primo Capitulo libri primi Sciendum quod totus liber Valerij habet 9. libros parciales* &c. Si modicum in legendo progrediaris, obſervas Excerptorem noſtrum uſum fuiſſe *Declaratione Valerii Max.* conſcripta a *Dionyſio de Burgo ſ. Sepulcri* Ord. Erem. S. *Aug.* exeunte Sec. XIV. quam typis excuſam *Fabricius* et *Oſſingerus* ignorarunt, Exemplar autem char. lat. eleganti *ſ. l.* et *a.* f. mihi objacens loquitur. Adjecit tamen noſter ad calcem *Valerii* eadem ratione moralizatam *Vitam Alexandri*, *Hiſtoriam Trojanam*, Narrationem de capta a. 1095. ingenio *Boamundi Antiochia*, et alteram de *Paſſagio Friderici* I. Imp. in *Palaeſtinam*, ejusque ſubmerſione, quam ita concludit: *Nota quod domini non debent ſingularizare, quia ille imperator noluit ire per viam quam ibat exercitus ſed per compendium huius vadi igitur fuit ſubmerſus.* Omnia fabellis intricata.

II. *fol.* 89. *Incipit Prologus Pauli Oroſij presbiteri ad Auguſtinum Epiſcopum.* Videlicet in *Libros VII. Hiſtoriarum*, quos Vir hic *Hiſpanus*, *Auguſtino* et *Hieronymo*